

transitus ad Cælum, hortabatur monens: *Assumite arma Dei &c.* Occasionem visio ejusmodi discipulis præbait, ut ab eo sedule sciscitarentur, quemadmodum se post Corporis sarcinam Anima gereret, quæ ei locus post exitum. Proxima nocte vox desuper, nomen ejus inelamitans, ait: *Antoni, exsurge, exi, & vide.* Qui egressus, elevatis ad Cælum oculis, vidit quendam longum atque terribilem, caput usque ad nubes attolentem. Vidit etiam pennatos quosdam, se elevare cupientes ad Cælum; atque illum extensis manibus prohibere transgressum. E quibus alios adprehenso elidebat ad terram, alios, frustra contendens, dolebat super se ad Cœlestia transvolare: & maximum gaudium mixtum mœrore victi victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est, dicens. Animadvertite, quod vides. Et tunc cæpit illuminato corde intelligere, **ANIMARUM ESSE CONSCENSUM**, & Diabolum prohibentem; qui & sibi retineret obnoxios, & in Sanctorum, quos detipere non poterat, cruciaretur volatu. Locum Animabus Justorum destinatum, post discessum e vita præsentis, ab Antonio sciscitabantur illius discipuli. Visio illi exhibita non aliud domicilium, quam Cælum, paratum esse Justis, aperuit: apposite nimirum ad communem temporibus quoque illis Ecclesiæ doctrinam. Præterea S. Athanasius Epist. ad Luciferum Episcopum Calaritanum scripsit: *Etiam nos optamus, tenentes Apostolicam Traditionem, vivere juxta Legis mandata, ut possimus vobiscum inveniri in Choro illo, in quo NUNC exsultant Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres.* Et infra: *Gaude igitur, in eo te esse, in quo etiam Prædecessores tui NUNC sunt Martyres, hoc est in Choro Angelorum.* Neque dimittendus heic nobis Lucifer ipse, qui Constantio Augusto imperante Libellum scripsit cum hocce titulo, *Moriendum esse pro Filio Dei.* Ibi postquam de Martyribus a Domino dictum fuisse ait: *Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra multa est in Cælo,* ad Constantium conversus addit: *Hos tu omnibus impotens de gradu putasti pellere? Quod enim elegerint, non vobiscum negatoribus torqueri apud Inferos, sed COELESTE CONSEQUI REGNUM, hos per inanem Regni tui auctoritatem censueras temet superaturum.* Infra subdit: *Disperdidisti resistentes tibi variis in locis. Sed hi omnes, quod tu audire minime vis, Martyres sunt. Illas omnes BEATISSIMOS, tuo mactatos gladio, IN PARADISO ESSE qui CREDIMUS, crede mihi, quod a te statuerimus interficere &c.* Quibus verbis satis innuit, non aliud sibi esse Paradisum, quam Cœleste Regnum, de quo paullo ante loquutus fuerat. Et præcipue quum infra subdat: *Tantam vero BEATITUDINEM, quam Sancti sunt MARTYRES ADEPTI, nemo, ut videmus, est consequutus, nisi hi, qui mortem propter unicum Dei Filium moriendo vicerunt.* Apertius quoque inferentia prodit, ubi sunt Beati MARTYRES, quos jam Dei potentia COELESTIBUS IN REGNIS ESSE CONSTITUTOS cernimus. Et rursus acris ingenii vir Constantium alloquutus in hæc verba erumpit: *Quis tantam sibi oblatam Felicitatem respuat, nisi qui se infelicio, quum videat, confessione vocis unius, Christianus sum, adversa succumbere, læta provenire, patesceri Regna; Eterna*